...im. flor.
episcopus ...densis

Ochocki Gabrielis: Tres mitrae, ducalis, doctoralis, episcopalis, generi, eruditioni, pietati Illmi et Rmi Principis Cas. flor. Czartoryski, Epi. Posn. impositae.

TRES MITRÆ,

DVCALIS, DOCTORALIS, EPISCOPALIS,
GENERI, ERVDITIONI, PIETATI,

Jllustrißimi & Reuerendißimi Principis

CASIMIRI FLORIANI
DVCIS IN CLEVAN
CZARTORISKI,
EPISCOPI POSNANIENSIS

impositæ;

EIVSDEMQVE CELSITVDINI,
In primo & auſpicatiſſimo ſuæ Eccleſiæ
ac Vrbis ingreſſu,

A

GABRIELE OCHOCKI
Jn Alma Vniuerſitate Cracouienſi Eloquentiæ ac Philoſophiæ Auditore,

Boni ominis, & voti Academici gratiâ
officioſiſſimè

DEDICATÆ.

Anno Domini, 1651. 7. Maij.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Franciſci Cæſarij, S. R. M. Typog.

IN ARMA
ILLVSTRISSIMÆ DVCALIS PROSAPIÆ.



QVi ruit infestos rapidus Bellator in hostes,
Quæris; an ex acie læta trophæa ferat?
Inspice Tres nitidas (Titulo monstrante) Coronas,
Crinibus impositas Dux CASIMIRE *Tuis:*
Sterne Eques aduersas Fidei Patriæq; phalanges,
Præmia quæ prêndas? PVRPVRA *sola manet.*

Ioannes, & Hyacinthus Ochocki,
Stud: Almæ Acad: Crac.

ORATIO.

CVm vniuerſum mortalium genus naturæ ipſius habitu in ſecundis ac proſperis rerum ſuarum ſucceſsibus magnopere gaudeat, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, tum potiſsimùm eâ tempeſtate, omnes bonos religioni ac ſaluti Patriæ deditos, ſupra modum exhilarari certum eſt, quâ Sacroſanctæ Religionis diuiniq; cultus in Orbe Chriſtiano ſumma & maxima profluunt ac proueniunt incrementa. Quod cùm hac ipsâ auſpicatiſsimâ die ſolennis Tui ad Eccleſiam Poſnanienſem ingreſſus, quâ primùm ſplendor Tuæ dignitatis, inclytæ huius Ciuitatis ac vniuerſorum Patriæ Ciuium perſtringit oculos, quâ & feruentioris diuini cultus, & omnigenæ felicitatis exorientis cum ingrediente in ſuam Sedem Epiſcopo innouantur auſpicia, luce meridianâ clariùs pateat; non modò Maior Polonia ex Paſtore ac Parente ſuo optimo, ſed vniuerſum Regnum Sarmatiæ ex integerrimo Ciue ac Senatore ampliſsimo, incredibili animi voluptate perfruatur, eſt neceſſe. Neque ſolùm ea de cauſa, quòd pridem debitum Tuis virtutib⁹ honorem, quem naſcendo merueras, nunc recipias, qui non caſu atque fortuitò, ſed Dei prouidentiâ, deinde Sereniſsimi Regis noſtri CASIMIRI Quarti voluntate Tibi contigerit: verùm etiam, quòd auguſta Maiorum Tuorum amplitudo, maximaque eorum in hoc Regnum Poloniæ merita, quæ ad Te quaſi iure hereditario perueniunt, fructum ſunt ampliſsimum conſecuta. Nam ſi in palæſtra primus ijs locus tribuitur, qui robuſtiſsimi, & qui exercitatiſsimi in hac ſunt concertatione; quantò magis decet, vt Tu PRINCEPS ILLVSTRISSIME, qui nobiliſsimo genere, virtute ac meritis in Eccleſiam Dei cæteris antecelluiſti, ad nobiliores partes in Eccleſia Dei ac Republica Polona adminiſtrandas euoceris? Quare cùm præſentem ſummi iſtius Tui in Eccleſia honoris acceſsionem, innumerabilium hominum Tibi vndique occurrentium multitudo, hæc ex vniuerſis Regni Ordinibus delecta lumina, hæc inſolita religioſiſsimi Cleri animorum hilaritas, hæc lectiſsimæ Nobilitatis frequentia, omnis inſuper hominum ætas, omnis ſexus, omnis conditio, effuſis votis & acclamationibus excipiat: nec noſtræ Academicæ literæ, quæ in Tuo patrocinio & auctoritate, omnem decoris, pacis, & tranquillitatis

quillitatis suæ spem indubitatam deponunt, possunt obmutescer e ; quin occurrunt potiùs,atque in exoriente istius honoris Sole singularia quæque pietatis ac obseruantiæ studia effundunt, neque à quopiam in tam confertissima iubilantium corona, qui de Tuarum dignitatum ac fortunarum maximis incrementis vberiorem lætitiæ segetem concipiat, vinci se patiuntur. Quo sanè nomine, dum Maiores mei, cum quibus ego nec ætate, nec iudicio,nec grauitate, nec dicendi sublimitate comparandus sum, Tibi, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, Episcopalem dignitatem in celeberrimo concursu spectatorum solenni ritu paulò ante Louicij adipiscenti gratulati sunt: Ego quoque eorum vestigijs, longè licet ad tam difficilem cursum expediendum imbecillior, insistere cupiens, spatiosam mihi viam virtutum Tuarum amplitudine commonstrante, nequaquam in animum inducere potui, quin in publica omnium ex honore Tuo lætitia, Ternionem quoque meum, fulgentissimâ Tuæ Celsitudinis luce coruscantem deuoto animo offerrem. Quem quibus artibus merueris,ostendã,dum Trium hanc vnionẽ Mitrarum,quib⁹ Gentilitij Tui splendoris Maiestas,eruditionis excellentia,virtutis ac pietatis amplitudo coronatur, Tibi tantorum ac tam sublimium bonorum compendio,& vnico ac singulari diadematis Regni vnioni impositam,eâ,quâ par est, animi obseruantiâ venerabor. Tu verò ILLVSTRISSIME PRINCEPS, cuius inclyto nomini, rudem quidem illam ac effusam (quanquam leuiter gaudet, qui suum gaudium temperare potest) eloquentiam, ast deuoto in Te affectu profectam submittendam decreui: quantùm Tibi inclyta Tui generis Prosapia, eruditionis vis, atque adeò hæc noua amplissimi Episcopalis honoris accessio celebritatis & ornamenti pepererit, pro singulari Tua in Academiam nostram humanitate, inter hos publicos gestientium animorum applausus, inter hos serenos gratulantium vultus, inter hæc vota optatissima, luce hodiernâ libens lubensque mecum recognoscas.

VErùm priusquam ad Te, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, Tuasque genuinas virtutes, non tam celebrandas, quàm potiùs admirandas veniam, præludia quædam mihi ex antiquissima ac diuinissima Maiorum Tuorum memoria deprompta concinnanda esse censui, vt omnes intelligant, Maximos quidem Maiores Tuos omni loco & tempore fuisse, pulcherrimaque Tibi exempla ad imitandum domestica semper extitisse; sed Te ita gessisse, vt dignissimus semper tantis ac tam inclytis Heroïbus in facie Vrbis & Orbis vniuersi habitus fueris, illud Heroïcâ mente Tuâ dies noctesque repetens, quo famam & laudes tantorum nominum adæques gloriosè. Enimuerò mihi spatiosum pelagus Tuæ Prosapiæ attentare cupienti, tanta subitò in ipso portu amplissimi Tui Nominis claritas, tantus splendor vndique se præmonstrat, vt à Maiorum Tuorum gloria non humanam laudem, quàm potiùs diuinitatem quandam consequi videaris. Quid enim vnquam post hominum memoriam sanctius laudabiliusque nobilissimâ Vestrâ Familiâ fuit ? quæ multò plures Orbi dedit Heroës, quàm vlla vnquam optare potuisset : ex qua plusquam decem Reges Poloniæ, trecentorum an-

norum interuallo, tot Illustrissimi præterea Principes, tot magnitudine animi præstantes Duces, continuatâ sanguinis successione prodierunt: vt omnino non in huius mundi caligine nata, verùm è cælesti illa regione demissa, ad imperia & regna Terrarum esse videatur. Nam si à prima origine ipsum Atauum Iagellonicæ Stirpis, iubar illud Principum GEDIMINVM reproducerem, nonne hic posteaquam Pruthenorum ac Liuonum omni apparatu belli instructissimas cohortes pugnâ fregisset, & Russiæ ac Seueriæ Duces fortitudine excellentes perdomuisset, eorumque ditiones amplissimas, vrbes, arces, & oppida munitissima, multorumque populorum longè latèque patentes prouincias virtute & armis occupasset, solus tandem tot gentium ac nationum victor felicissimus, idemque formidandus earum dominator celebratus est? vt non modò apud deuictas, & suæ ditioni subactas, sed etiam vicinas quasque & remotissimas gentes, quas bellicâ fortitudine concusserat, illâ animi magnitudine nomen suum illustrauerit, docueritque luculentissimè, quot & quàm generosos Heroës in omnem seculorum memoriam è sanguine suo Sceptris & Coronis in orbem disseminaturus esset vniuersum. Atque vt interea loci illos LVBARTOS, CORIATOS, NARIMVNDOS, IAVNVTOS, KIESTVTOS, Heroïcam sobolem tacitus prætereeam, satisfacere me tantis nominibus posse confido, si vel vnius OLGERDI Principis nomen & famam saltem leuiter attigero. Quâ ille cùm ob inuictum animi robur, & tot relatas ex hostibus palmas floruisset, tum quod Progenitoris GEDIMINI necem funestissimam de Pruthenis interfectoribus ita vindicasset, vt comparato multo suorum robustissimorum virorum exercitu, in fines ac ditiones parricidarum irruens, longè latèque rura & oppida munitionibus præsertim destituta, nemine eius impetum retundente, nullo ætatis ac conditionis habito discrimine, igni & ferro, obuia quæque per vniuersam propè Prussiam vastabat, populabat, trucidabat. Egregiam profectò, & omni seculorum memoriâ prædicandam optimi filij in persequenda Parentis nece contentionem. Sic ille ignito globo profusum sui Genitoris sanguinem, cruento Marte, & tam ferali effusione sanguinis cæsorum aboleuit. Sed iam Chronicorum libri & monumentorum Scriptores magnis adumbrent laudibus hoc tantum OLGERDI paternæ pietatis facinus. Mihi verò cùm tanti facinoris, & Heroïcorum suorum gestorum admiratione, tum potissimùm tot Heroüm ac Ducum fortissimorum, quos fortunatus susceperat, propagatione, nullâ vnquam temporis vetustate obscurandã consecutus est adoreã. Iam verò ILLME PRINCEPS, D. IAGELLONIS Lituaniæ Principis, Primi è sanguine Vestro Poloniæ Regis, admirabili inusitatæque virtuti, quod vnquam post homines natos par à disertissimis Oratoribus adferri potest Orationis genus? Qui cùm Lituaniam, Samogitiam, & præterea magnam Russiæ partem fortis & strenuus obtineret, Heduigim LVDOVICI Hungarorum & Poloniæ Regis filiam superstitem in matrimonium duxit, nobilissimasque iuris sui Prouincias, iam tum Christianus & Rex Poloniæ factus, Regno nostro sociauit. Quid hîc commemorem, quàm multis, quàm certis, quàm inusitatis do

tis documentis pietatis suæ magnitudinem testatus est? Testis est, & habet quod in acceptis referat suo Principi Lituania, quam ab illa fœda ac barbara gentilitate atque inueterata superstitione auulsam ad veram fidem conuertit, & Dei vitæque cælestis heredem fecit. Quid inuictum animi robur, detracta Crucigeris spolia, algoris & inediæ tolerantiam, austeritatem vitæ prædicabo? Quid extructarum ab eo sacrarum ædium multitudinem, quid diuitiarum Ecclesiastici Ordinis hominibus attributarum magnitudinem exponam? Quid regiam illam vereque diuinam mentem, quâ in bonas literas promouendas ferebatur, prosequar? Ipsa Academia nostra Cracouiensis, quam ille tam munificè erectam grauissimis legib9 & immunitatibus ad omnem posteritatem dotauit, omnibus seculis atque gentibus gloriosum fuisse IAGELLONEM testabitur. Ex qua quot viri eruditione, religione, moribus, vitæ sanctimoniâ clari, Ecclesiæ, Patriæ, bonis publicis prodierunt, tot IAGELLONI immortales adoreæ & superba trophæa eriguntur. Quid verò de filio eius VLADISLAO Tertio, Poloniæ & Hungariæ Rege dicam? qui non degener à virtutibus Paternis factus, laborum ac esurialium dierum tolerantissimus, animi excelsi, profusæ liberalitatis, spectatæ probitatis, comitatis, etiam aduersus hostes inusitatæ clementiæ, nihil vnquam abiectum ac humile cogitauit: quodque semel magnum cum animo constituerat suo, ab eo nullis vnquam difficultatibus abduci se patiebatur: in quo omnes virtutum imagines, quæ singulæ Magnos Principes ornare consueuerunt, velut agmine facto resplenduerunt. Namque cùm nondum firmatâ ætate Turcas diu vexasset, multisque prælijs fudisset, fregisset, afflixisset, auctoritate Pontificis Maximi, & innato belli ardore stimulante, redintegrato cum ijsdem bello, tum quoque magnâ eorum editâ strage, in media planè victoria, in ipsa tandem acie fortissimè dimicans, ad Varnam occubuit. Sed suppleuit tam grauem iacturam fraternæ fortitudinis non minùs ac auitæ virtutis legitimus Heres CASIMIRVS Rex, quo feliciter regnante, bellum per quadringentos annos cum Prutenis gestum, pace tandem optatissimâ cum gente Polona est conclusum. Quo sanè tempore Pomeraniam, Culmensem, aliasque vicinas Terras Regno Poloniæ, de quibus bello centum quinquaginta annis agebatur; tum Episcopatum Templumque Culmense, genuinæ Matri Gnesnensi Archidiœcesi, à Crucigeris iniquo iure vsurpatum, felicissimè recuperauit. Neque hoc loci præterire possum ILLME PRINCEPS, ALBERTI Regis memoriam, qui cùm maximis animi sui ornamentis nemini Maiorum suorum cessisset, tum ingenio arguto, acri iudicio, infatigabili industriâ, admirabili in euoluendis Historiarum monumentis studio, Latinæ ac Germanicæ linguæ facundiâ clarissimus, animique magnitudine præstantissimus, omnium linguis atque literis celebratur. Cùmque eo regnante fatalis illa septuaginta millium Turcarum tempestas inhorresceret, perque vniuersam Podoliam impunè grassaretur, obuios quosque pagos atque oppida instar turbinis versus Tyram & Haliciam, aliaque vicina loca igni ac ferro populasset, iura omnia diuina humanaque contemerasset, tum ipse æther, quem sibi pius ac sapiens

Rex

75

Rex ante propitium reddiderat, pro eo militans, quæ humana vis reprimere nequibat, ea niuium copiâ & frigoris deleuit atque suffocauit. Iam verò ALEXANDER Rex insigni ac memorabili victoria ex Tartaris potitus, domi forisque perpetuam sibi gloriam, & scientiâ rei militaris, & liberalitate, quâ inter Fratres maximè excelluit, tum auctoritate ac felicitate singulari comparauit. Quid alter ille Sarmaticus Dauid SIGISMVNDVS Primus, cuius pietatem quidem & religionem, magnificentissima Templa partim instaurata ac refecta, partim ditata, partim etiam à fundamentis excitata, & perpetuum prohibendæ à Regno suo Hæreticæ prauitatis studium: Bellicam verò fortitudinem, tam multæ, tam memorabiles de Moscis, Valachis, Tartaris, Turcis victoriæ, & vt cætera taceam, octoginta Scytharum millia vno ad Borysthenē prælio profligata testantur. Sed omnium Maiorum suorum gloriam sine dubitatione SIGISMVNDVS Tertius non solùm adæquauit, verùm etiam superauit, cùm ob multas ac Regias suas virtutes, tum potissimùm clementiæ laudem, quam ille præcipuam Maiestatis suæ comitem esse voluit; arbitratus, hoc Sceptrum illustrius futurum, quod amore subditorum magis quàm auro radiaret. Quantùm verò pietatis ac religionis sub hoc pio Rege Patria nostra acceperit, tot vbiq; Templa erecta, tot Monasteria (vltra ducenta!) extructa, tot Xenodochia condita, tot prouentibus amplificata, tot beneficijs dotata, tot ornamentis decorata loquuntur. At verò Inuictissimus VLADISLAVS Quartus quantus est? qui cùm primum ætatis florem Bellonæ consecrasset, nihil vnquam ad gloriam immortalitatemque amplissimæ laudis consequendam desiderauit. Testis est recens ipsius præclarè gestorum memoria, cùm Smolenscum egregiè tutatum propugnaret, & Moscos adigeret, vt maximum opulentissimumque Seueriæ Ducatum iure quodam hereditario Poloniæ nostræ adscriberent, ac tot ipsi arces, tot propugnacula vltrò velut in fœderis ac pacis pretium perpetuò donarent. Testis nunquam dignè satis deprædicanda victoria, cùm Turcam immanissimum, qui in suam potestatem ditionemque Poloniam redigere, totum denique Terrarum Orbem, vel exiguo temporum spatio debellare præsumpserat, inuictâ animi fortitudine ad Chocimum deiecit, Polonos à calamitate, ab atroci iniuria, ab insigni pernicie vindicauit, crudelitate totum Orbem liberauit. In his verò afflictis planèque desperatis Patriæ rebus, in tam calamitosis ac tantis temporibus, quibus immanis rebellium Cosacorum ac Tartarorum perfidia in commune omnium nostrûm iam iam armabatur excidium, nonne magnâ Dei misericordiâ, ac Serenissimi Regis nostri IOANNIS CASIMIRI consilio ac felicitate singulari, planè ab extrema, quæ nobis ab atrocissimo hoste turpissimè parabatur, seruitute, salui ac incolumes conseruamur? Quid mirum, PRINCEPS ILLME, si nostra hæc Patria sub auspicijs Serenissimi IOANNIS CASIMIRI tuta & secura conquiescat, cùm hoc illi non humano aliquo consilio atque prudentiâ, quàm potiùs Vestræ Stirpi peculiari quadam prouidentiâ Dei ab ipso inditâ, & felicitate, accidere non modò videmus, sed planè sentimus. Nam quoad mens nostra respicere potest

 spatium

ſpatium præteriti temporis, & Iagellonianæ Proſapiæ memoriam recordari vltimam, ſemper Patria noſtra ex ea Reges optimos, vindices & conſeruatores libertatis acerrimos, religionis propagatores ardentiſsimos, pacis & integritatis Ciuium cultores eximios luculenter agnouit: vt quidquid vnquam in Eccleſia cultus Diuini, in Patria ornamenti, in Senatu amplitudinis atque ſplendoris, in Curia auctoritatis atque dignitatis, in foro æquitatis, in Ordinibus fidei & integritatis, in municipijs bonorum incrementi & conſeruationis conſpicitur, id in CASIMIRIS, SIGISMVNDIS, AVGVSTIS, VLADISLAIS, ex Veſtro ſanguine procreatis, ſe accepiſſe fateatur eſt neceſſe. Ergo attollat hæc Magna Terrarum Numina grata Polonia, & eorum auguſto nomini ad omnem ſeculorum memoriam perennia excitet monumenta. Sed in tanta ſua iubilatione, Diuum præcipuè CASIMIRVM Regum ac Principum florem, innocentiæ, pietatis, ac ſanctimoniæ exemplar, Dei ac Reginæ cælorum delicium, Regni pupillam & Patronum, longè amplioribus vltra quàm etiam humana facultas patitur elogiorum titulis, vel potiùs ſubmiſsâ animi pietate veneretur.

Sed quemadmodum in vniuerſo non ſolùm ipſe ſol lucidiſsimus, verùm etiam multa præterea clariſsima ſidera conſpiciuntur: ita quoque in Tua, PRINCEPS ILLME auguſta Familia, non hæc tantùm tam magna mundi lumina ſola luxerunt, verùm tot Duces magnanimi velut ſidera quædam ſplendidiſsima Orbi Sarmatico radiarunt. Atque vt interea auguſta illa OLGERDI germina, VLODIMIRVM Ducem Kijouiæ, CORIBVTVM Zbaraſij, ALEXANDRVM Sluciæ, SIMEONEM Mſciſlauiæ, VIGVNTVM Bidgoſciæ, SANGVSCVM Nieſuiſiæ, ſexcentoſque alios ab his ortos bello acerrimos & fortunatiſsimos Duces prætercam, quorum ſtupendis & nunquam ſatis laudandis bellicoſis artibus vniuerſus Septemtrio effloruit: vnde Tua potiſsimùm PRINCEPS ILLME antiquiſsima à CONSTANTINO Czartoriſci & Seueriæ Duce probatiſsimis moribus ac fortitudine Proſapia reſplenduit, propiùs accedam. Etiam hîc mihi ſeſe offert non minùs vetuſtate, quàm inſigni in Patriam ſuam pietate memorandus IOANNES ille Dux, qui velut alter Brutus aut Caſsius boni publici ac integritatis legum ac iuſtitiæ vindex acerrimus, illum Sigiſmundum Ducem Lituaniæ, iura Patriæ conuellentem, reliquos Principes horrendum in modum captiuantem & trucidantem, bona, poſſeſsioneſque eorum ampliſsimas, iniquiſsimo iure, vi, ferro occupantem, non minùs ac Iulium Cæſarem, ciuium ſaluti perniciem ac vltimam calamitatem molientem, vti hoſtem Patriæ immaniſsimum interemit: iamque deſperatis, ac grauiter de vita ac fortunis periclitantibus Ducibus, optatam ſalutem ac libertatem reſtituit. Verùm longè maiori in Patriam pietate ac inuicto animi robore conſpicuus, gratâ poſterorum recordatione literarumque monumentis celebrabitur THEODORVS Dux Capitaneus Luceorienſis, qui ſuperioribus temporibus, cùm horrenda à Tartarorum atque Turcarum feritate tempeſtas ingrueret, quæ hoc inclytum Regnum Poloniæ, hanc pulcherrimam Patriam omnium noſtrûm, fœdiſsimâ

flammâ,

flammâ, totam denique Europam internecione & vastitate delere præsumebat, ita strenuè conatus eorum nefarios repressit, vt speratam ab illis victoriam summam in ignominiam suâ ac cæterorum virtute conuerterit. Quid commemorem huius filium ALEXANDRVM Ducem Palatinum Voliniæ, magnanimum ac fortem virum, qui paternæ fortitudinis egregius æmulator, non tantùm magnoperè rerum à se præclarè gestarum gloriam desiderabat, verùm etiam vitam ipsam pro dignitate & incolumitate Reipublicæ Polonæ laudeque immortali consequenda profundere minimè verebatur: qui Valachos, Moldauos, Scythas, cæterasque perniciosissimas pestes, Pocuciæ & Podoliæ ingruentes, ab earum finibus, fortunis atque ceruicibus forti suâ dexterâ abegit. Vidit & admirata est tunc Polonia, inprimisque VLADISLAVS Poloniæ & Hungariæ Rex ac Frater eorum fortissimus, tantos Duces, ad omnes temporum motus vicissitudinesque stabili ac audaci animo rem bellicam strenuè ac fortiter tractantes, ac proinde memor tam impensæ eorum in Patriam fidelitatis, vnà cum suis Proceribus ac Ordinibus Regni vniuersis, augusto eorum honori ac Heroïcæ dignitati prospicere cupiens, Stemmate eos Ducali (quod etiam ex Patre possidebant) Equo scilicet, cui vir armatus insideret, in testimonium magnanimitatis, sempiternis temporibus vti censuit. Egregium profectò PRINCEPS ILLME gentilitij Vestri splendoris insigne, quòd Gentem Vestram à Maioribus suis ortam, non rhedâ aliquâ magnificâ, ad pompam & delicias priuatasque commoditates instructâ, quàm potiùs Martio Equo in obuios hostes cursu præcipiti irruente, & salutem Patriæ vehementissimè propugnante, longè latèq; per omnes Orbis terræ regiones gloriosam refert. Quoties enim & quot ille barbarorum legiones nostrum sanguinem sitientium discerpsit? Quoties per medias eorum acies peruolando totos exercitus in terram prostratos calcauit & dilaniauit? Quoties Turcarum, Tartarorum, Moldauorum, Valachorum, Moscorum, Cosacorum numerosissimas cohortes in exitium gentis Polonæ conspirantes, protrusit & dissipauit? Quoties salutem Ciuium periclitantem è media flamma viuacissimo cursu extulit & recreauit? Testis est, PRINCEPS ILLME, qui claret huius Equi insignijs, decus illud Purpuræ IOANNES Dux Proauus Tuus, quem optimum Reipublicæ Senatorem, difficili sanè belli Moscouitici tempore, prudentissimus Rex Poloniæ AVGVSTVS, Palatinatui Kijouiensi gubernando potissimùm delegit & præfecit; qui tam insigni fide, religione, auctoritate, & bellis præstantissimus fuit, vt vbicunque se profuturum Patriæ putarat, nunquam labores subterfugisse, non recusâsse pericula, non pepercisse facultatibus, non valetudinis vsum excusasse vnquam audiretur. Testis IANVSSIVS Dux, Illustrissimi Parentis Tui Patruus, qui more Maiorum suorum, cùm ingentes sumptus pro Republica in Liuonica & Moldauica expeditione impenderet, tum verò potissimùm Serenissimo Regi STEPHANO BATHOREO, prudentiâ, bello & pace gloriosissimo, ad perfidam Moscouiam perdomandam, insurgentesque in ea procellas sedandas proficiscenti, strenuam verèque Heroïcam operam luculenter probauit, cùm fidum se ei & indiui-

indiuisum omnium itinerum atque durissimorum laborum socium adderet, asperitatem hiemis, inediæ, multorumque incommodorum ac periculorum grauissimorum vndique tunc imminentium forti ac infracto animo subiret, nihil ad extremũ intentatum relinqueret, quo famã suam in Orbis terræ memoriam sempiternam disseminaret. Quo sanè tempore, incensus amore Patriæ, cui tum defendendæ omnes suas vires intenderet, animosè contra perduellem Moscum decertando, cum Curtio illo Romano aut Atheniensi Codro in apertissimum discrimen pro eius salute caput suum obiecit, & pro Rege Serenissimo venalem morte vitam circumferens, sanguinem & animam effundere generosissimè ac fidelissimè in illa ferali acie non dubitauit.*

Age verò, quibus gradibus ad immortalitatem gloriæ contenderit, decus & ornamentum Reipublicæ Polonæ NICOLAVS GEORGIVS Dux Czartorisci, Castellanus Voliniæ, dignissimus Parens Tuus, qui cùm antiquâ gentis nobilitate clarus, longè tamen virtutibus suis illustrior, nihil vnquam in vita non egregium, non amplum cogitauit & perfecit, vt dubium sit, plusné generosa eius virtus in bellis, an in pace sapientia & moderatio enituerit. Hic enim iam inde à prima adolescentia velut alter Scipio Africanus, aut Pompeius Magnus, nondum patientibus annis, è ludo ad bellum maximum, è pueritiæ disciplina ad hostes acerrimos, contra Valachos, Scythas, & Turcas in aciem prosiliens, suæque fidei commissam instructissimam fortium militum manum ducens, hoc vnum illo calamitoso Reipublicæ tempore incredibili suâ prudentiâ & vigilantiâ egit, vt & Patriæ dignitatem ab insultu barbarorum, & militum suorum integritatem tueretur. Nec fortuna defuit; nam eâ tempestate, singulari fortitudine Turcarum sæuissimo furore perdomito, nascenti primùm suæ gloriæ immortale in animis omnium erexit monumentum, futuræque fortitudinis porrexit documentum. Parem animi sui dexteritatem & promptitudinem pro charitate Patriæ exhibuit, cùm insurgentibus in Liuonia procellis, quæ non ferendam calamitatem aris & focis nostris intentabant, non tulit hanc omnium deterrimam conditionem Illustrissimus Parens Tuus, quin potiùs ad pacandos illos motus & tranquillandam Liuoniam, proprijs ac ingentibus impensis signa produceret, à quibus animi copiæque hostiles magna cum sua strage ceciderunt. Magna hæc sunt Illustrissimi Parentis Tui laudum argumenta, sed hæc longè maiora, quòd Te, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, tantum Episcopum ac tam eximium Reipublicæ Ciuem, cuius prudentiâ consilioque cùm Cathedra Posnaniensis, tum amplissimus Senatorum Ordo, magno cum suo fructu lætissimus perfruetur, perquam feliciter genuerit. Quare gaudere debet suo tanto tamque excellenti bono, & frui hac diuinitus sibi oblata felicitate, dum Te, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, non vt quondam Rhodius Diagoras duos duabus coronis filios, sed vnum longè fulgentissimis tribus Mitrarum Coronis, Ducali, Doctorali, Episcopali, ob summa Tua in Ecclesiam, Rempublicam Polonam & literariam merita coronari; eundemque in Ecclesia Dei vigilantissimum Pastorem, & Doctorem præstantissimum, in Senatu Ciuem Patriæ prudentissimum, Literarum fautorem ac Patro-

ac Patronum beneficentifsimum, incredibili fui cum animi voluptate vniuerfæque auguftæ Veftræ Profapiæ lætitia concordibus omnium vocibus ac votis appellari fentit.

Sed ne Paterno genere prædicando præfentem meam dictionem occupare, Maternum verò difsimulando præterire videar, vtroque licet fi vetera fpectes, æquè Te gloriari, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, non inconueniens eft; cùm præfertim inde quoque tot viri fortifsimi, tot Ductores prudentifsimi, tot Heroës in vniuerfum Orbem Terrarum ac fempiternam memoriam gloriofifsimi prodierunt. Vt enim à prima origine Illuftrifsimæ Heroïnæ Matris Tuæ fplendorem ac claritatem Corecianam non repetam, quod & longum nimis effet, & nobis id anguftia temporis non concederet, primum ex hoc Heroïco fanguine noftræ memoriæ Illuftrifsimum Ducem BOGVSLAVM Corecium, Palatinum Voliniæ reproducendum cenfui, virum cùm animi & confilij magnitudine clarifsimum, tum Patriæ amantifsimum, & defenforem fortifsimum, cuius egregia facta faftis æternitatis confignata, nullâ temporis vetuftate abolenda, viua atque in hominum memoria recentia permanebunt. Quo verò orationis genere, aut quâ ftyli elegantiâ ad amplificandas & colligendas Tuas immortales adoreas in acie partas me infinuabo, ô Regni fplendor, barbaricæque immanitatis terror, decus Ducum, generofifsime SAMVEL CORECI! cuius ego Heroïs robur & animi magnitudinē non folùm Poloniæ, fed quod fcio cunctis gentibus admirandam iure dicam, qui tantùm in fcientia rei militaris, in gerendis bellis, victorijs, triumphis profecit, vt omnes eius fortitudinis incrementa laudare faciliùs pofsint, quàm æmulari. Senfit id Valachia, Moldauia, Mofcouia: fenfit Tartarorum peruicacia: fenfit infuper & ipfe prædo Afiaticus, dum non rarò atrocifsimas eius feras, ex cauernis ac latibulis fuis in ditiones Polonorum erumpentes, æterna cum ignominia fuaque cum laude inclyta contriuit & fupprefsit. Sed heu dolendum, quàm iniquo Reipublicæ fato, hic tam fortifsimus Imperator tandem denfifsimis ac vehementifsimis vndiquaque barbarorum fulminibus circumfufus & concuffus, magno cum dolore Orbis Sarmatici occubuit, quem in Solo Patrio in certifsimam Ecclefiæ ac Patriæ defenfionem æternùm ftare oportebat. Sed memoriam tantæ & tam inufitatæ magnanimitatis excipiet ac tuebitur immortalitas, quæ in omnem pofteritatem cum fumma apud bonos omnes gratitudine eft duratura. Vnde nec Tu PRINCEPS ILLVSTRISSIME, tam memorandâ Auunculi Tui morte illi gloriosâ commoueri debes.

Adfunt Tibi præterea eodem fanguine propagati Illuftrifsimi VISNOVECII Duces, qui cùm inprimis fui generis amplitudine cæterorum Familijs facilè præftent, tum eam fortitudinis laudem admirandis fuis virtutibus fibi parauerunt, vt & fuperiorum ante fe Heroüm facta non modò adæquarint, verùm etiam reliquis omnibus fpem affequendi poft fe ademerint. Adeft DEMETRIVS Dux, qui quantùm animi ac corporis viribus valuit, factis docuit & oftendit. Vix ille vnquam emerita arma fufpendebat: iam hofti armatus inftabat, folus infatigabilis bella bellis continua-

 bat,

bat, victorias victorijs cumulabat, nec vnquam se vicisse, nisi vinceret, putabat. Iam ex Turca nobis infensissimo victor redibat, iam Scytharum rabiem & frequentes impetus eneruabat, Valachiam, Moldauiam, adiacentesque eorum pagos & oppida euertebat, ac dirimebat. Adest ALEXANDER VISNOVECIVS Czartorisci Dux, Capitaneus Circassiensis. Adest ANDREAS Dux, primò Castellanus, deinde Palatinus Voliniæ, Proauus Tuus. Adsunt duo fidissima Patriæ propugnacula, GEORGIVS Dux, & CONSTANTINVS Palatinus Russiæ, Tui Parentis gloriosissimi Auunculus, qui cùm se ex Familia fortissimorum Heroüm progenitos, nec aliam sibi viam ad immortalem gloriam consequendam patere, præterquam pietate & armis intelligerent, perpetuas sibi pro nomine Christiano & salute publica contra hostes immanissimos excubias gerendas esse censuerunt. Intuere nunc, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, veram generis Tui propaginem HIEREMIAM Ducem Visnouecium, Palatinum Russiæ, nouum in Orbe Polono exortum Scipionem, tot opimis spolijs, prælijs, victorijs, atque triumphis vltra humanam fidem gloriosum, cuius animi generositate ita semper pacis publicæ ornamenta ac vniuersorum Ciuium incolumitas nitebat, vt nisi ille viam tot hostium cædibus aperuisset, spem totius Polonæ gentis ac vota irrita fecisset: qui nutantem Russiam propter perpetuam Tartarorum vexationem confirmauit, contra Scythiam, Moscouiam, tot vexilla delectissimorum virorum magnis suis sumptibus reproduxit, quibus cùm perduellium Moscorum pertinaciam fregit, ac Serenissimis Poloniæ Regibus parere coëgit, tum etiam Tartarorum innumeras copias sæpèsæpiùs acie profligauit. Sed desint hæc, quæ paulò ante satis laudabiliter gessit: an non præsentes victoriæ, quas ex rebelli Cosacorum Tartarorumque multitudine auspicatissimè reportauit, ad perennem gloriam ei consequendam sufficient? Qui solus ferme tanquam verus Aquilæ Polonæ pullus, cæteris in varias partes auolantibus, velut alter Cocles Sarmaticus armatas Cosacorum copias sustinuit. Ille profanationes Templorum & altarium: ille vastitatem agrorum, depopulationem bonorum communium, conflagrationem pagorum & oppidorum: ille vexationes virginum, cædem Sacerdotum, internecionem nobilium, aliaque eius generis immanissima perduellium facinora, zelo diuini amoris Patriæque charitate incensus, non numero militum, sed virtute suâ seuerissimè vindicauit: vt verissima fama de eo prædicaretur, quantùm reliquis timoris, tantùm huic animi roboris, quantùm alijs ad fugam velocitatis, tantùm huic ad ferendam opem labanti Patriæ celeritatis fuisse, multaque aggressum esse & confecisse gloriosè. Sit ergo clarus ille Camillus, cuius consilio atque virtute quondam vrbs Romana Gallorum crudelitati erepta fuit: ornetur eximiâ laude assertor libertatis Romanæ Cicero, qui Catilinæ facem impiæ coniurationis extinxit; sit in æterna gloria Scipio Iunior, qui Carthaginem Pœnorum audaciâ & contumaciâ rebellem liberauit: esse apud nos posterosque nostros gloriosus debet Dux HIEREMIAS Visnouecius, qui Regnum Poloniæ, libertatis domicilium, pietatis sacrarium, cùm tot superioribus, tum

potissi-

potissimùm his temporum Regni turbinibus, suâ suorumque virtute militum conseruauit. Sed quorsum ego viri fortissimi plusquam Herculea facta exaggerare contendo, qui in dies virtute suâ illustrior redditur, quod cùm illi, tum etiam Tibi, PRINCEPS ILLME, in præsenti ascensus Tui honore non mediocrem auget voluptatem.

Hic est splendor Tuus Gentilitius, hæc Maiorum Tuorum vetustas & amplitudo, hæc Tua nascendi felicitas, quæ Tibi apud omnem posteritatem sempiternum decus est allatura. Egregiam profectò viri nobilis laudem, cui virtus Parentum in ipso ortu instillata, multaque serie optimè factorum aucta ac decorata, maiora in dies virtutum sumit incrementa. Enimuerò nisi istarum accesserit claritas, obscurus omnis natalitiorum splendor in tenebris iaceat, omnia quæcunque hæc animorum lucerna suo non illustrauerit lumine, immò ne lux illa ab antiquitate olim honori dedicata radiat, si ab hac flamma & lumine virtutis non fuerit accensa. Hæc nimirum est velut quidam Sol animorum, sine quo ne astra quidem ipsa lucerent, quæcunque mortalium auitas domos ornant atque illustrant. Probè hoc intellexeras PRINCEPS ILLME, propterea non tantopere præstantiâ licet nobilissimi generis gloriari cupiebas, quàm potiùs virtute propriâ niti, ingenium excolendo, in quo vera stemmata & genuina hominis excellentia sunt fixa & posita. Superuacaneam ac odiosam existimasti illorum filiorum iactantiam, qui parentum suorũ pulchritudinẽ nacti, plurimis eam turpitudinis næuis deturpârunt, illamque solidam & veram laudem semper arbitratus es, quæ proprijs virtutum insignijs colluceret. Docuisti idipsum luculenter, PRINCEPS ILLME, qui naturæ bonitatem, ingenijque felicitatem diuinitus planè consecutus, non ludis aut otio illibatum illum adolescentiæ florem occupâsti, verùm illis sedulò artibus inhiasti, quibus institutus olim honori Ecclesiæ ac dignitati Patriæ conspicuus radiares. Vidimus in Te, PRINCEPS ILLME, & submissè venerati sumus admirandam eruditionis Tuæ præstantiam, quam Tu inde à puero contento cursu ita capessebas, vt meritò propter excellentem, tàm in rerum diuinarum quàm humanarũ disciplinis, atque adeò in omni genere scientiarum doctrinam, in vrbe illa, quæ cæterarum vrbium Regina atque Domina est, & in qua pietatis & sacrorum omnium domicilium iam pridem constitutum est, laureâ Theologicâ, spectantibus Senatus Hierarchici Principibus, annuente & plurimùm lætante inde Supremo religionis Antistite decoratus sis gloriosè. Et certè illo ipso tempore, quo tantus Doctor magnis cum gratulationibus vniuersorum renuntiareris, quantùm literato honori tribuendum sit, amplâ & præclarâ cogitatione satis abundè ostendisti. Iam verò hoc corruptissimo æui an hominum vitio, quæ barbaries? qui torpor? quæ insania non dementauit animos hominum? qui spretis veræ doctrinæ sapientiæque amœnissimis viretis, sordidæ ignorantiæ acutissimis spinis, asperrimis vepretis, carduis, & alijs id genus insipientiæ dumetis passim inhorruerunt. Neque solùm ea insipientia humiles vulgi sensus occupâsse, sed etiam ipsa generosa pectora excantâsse videtur. Solenne erat Maiorum nostrorum memoriâ, vt nusquam ad emi-

ad eminentiores in Ecclesia Dei functiones aut Magistratus obeundos, nisi Viri literatissimi, ijdemque laurearum insignijs decorati admitterentur. At verò hac obliquâ rerum tempestate, contemptis Sacrorum Conciliorum Canonibus, & neglecto vetere obseruando Maiorum instituto, augusti illi virtutibus olim debiti honores, non tam virtutis aut eruditionis alicuius ornamenta, quàm fumosa vanitatis documenta per summam malitiam reputantur. Sed Tu, PRINCEPS ILLME, Tuâ illâ egregiâ in literis contentione, illo præclaro ad omnem virtutum & scientiarum præstantiam impetu, illâ amplissimi Tui Doctoratus accessione, non modò deprauati istius seculi detestandum fucum abstersisti, verùm etiam insana iudicia, illam tetram erroris ac pertinaciæ illorum culpam, qui bonis literis atque laureatis fuerunt infensi, exempli Tui claritate elusisti. Tu illorum præterea infirmas opiniones reprobasti, qui virtute quoque solâ contenti, nihil splendoris sibi ab eruditionis luce posse aduenire arbitrantur, abundèque docuisti, pulcherrimum esse virtutis cum eruditione commercium, quo si virtus destituta fuerit, omnino viduam ac mancam eius conditionem esse est necesse. Eam Tu igitur, PRINCEPS ILLME, grauissimam arbitratus sententiam, ita Te in superiori ætate comparabas, vt eruditos probitate, & probos eruditionis laude superares, ita secundas doctrinæ ferebas, vt tamen primas virtutis obtineres. Tu insuper, PRINCEPS ILLME, iam à multo tempore mortuam & ingratâ obliuione sepultam, memorandam Magnorum virorũ consuetudinẽ, DVCVM MASOVIORVM, GEDROCIORVM, TĘCINIORVM, OPALINIORVM, OSTROROGIORVM, OLESNICIORVM, VISNICIORVM, ZAMOSCIOSCIORVM, LVBRANSCIORVM, TOMICIORVM, CHOINIORVM, GOSLICIORVM, CONARIORVM, BARANOVIORVM, DĘBINIORVM, OCIESCIORVM, & sexcentorum aliorum excitâsti, qui Illustrissimis orti Maioribus, quondam in Academia nostra Cracouiensi optimè literis instituti, semper maximo honori sibi duxerunt, sua tempora Lauro redimiri. Tantorum Tu itaque Heroüm, PRINCEPS ILLME, viam ingressus, in nullo à tam laudatissimis eorum institutis deflexisti, qui ad omnia summa natus, nihil vnquam eorum prætermittendum esse voluisti, quod Te Orbi vniuerso perfectissimum iuxta ac gloriosissimum deprædicaret. Et cùm in Tuas virtutes celebrandas cunctus Senatus, omnis Equester Ordo assurget, ipsa Musarum subsellia, ipsæ Sapientum voces Tuis etiam laudibus personabunt, diuinamque Tuæ sapientiæ vim extitisse per Cathedras ac theatra literarum testabuntur. Loquitur iam Italia, loquitur Polonia, Te profundissima scientiarum arcana, partim in Vrbe Romana ac multis alijs Europæ partibus, partim in Celeberrima Cracouiensi Ciuitate, in Conuentibus Religiosorum ac doctissimorum virorum publicè sæpissimè disputantem satis superque explicâsse. Nostra quoque Inclyta Cracouiensis Academia non obscurabit vnquam turpi silentij nube clarissimum Tuæ sapientiæ lumen, quæ Te quoque intra parietes suos libens audijt doctissimè disserentem. Atque cùm tantâ sapientiæ Tuæ famâ ora atque animos vniuersorum compleres, & in Tui admirationem pertraheres, iam tum luculen-

ta por-

ta porrigebas indicia, Te non solùm Collegis Tuis amplißimi Capituli Cracouiensis, inter quos insigni doctrinâ velut luminare quoddam fulgentißimum micabas, maximo fuisse ornamento, verùm etiam dignißimum probari, qui ad nobiliores sustinendas Ecclesiæ partes euoceris, quò magis latiùs sapientiæ lumen in Ecclesiam Dei diffunderes. Cùm ecce fortunatißimo euentu rem comprobante, in hemisphærio Episcopæ Posnaniensis instar stellæ lucidißimæ constitutus, omnem ab animis Tuæ gregis luce doctrinæ propulsabis caliginẽ, sanctißimorũ consiliorum atque dogmatũ efficacißimis viuificabis influentijs, semperque piæ institutionis fulgoribus illustrabis.

Quid nunc dicam de singulari pietate Tua, PRINCEPS ILLME, cuius Tu is cultor semper ac promotor egregius extitisti, vt hanc in Te non modò ipsa Cracouiensis Cathedræ decora, sed vniuersus deuotus populus mirificè suspiceret: nemoque omnium tam maleuolus aut inuidus reperiretur, qui pietatis Tuæ luculenta exempla, non leuiter pressa ad exigui temporis prædicationem, sed fixa ad diuturnam posteritatis recordationem, purâ mente intuens atque recolligens, non Te tam fulgentißimâ Tiarâ dignißimum iudicaret. Splendeat itaque Tua sacrata Mitra, hoc in solenni Tuo ad Ecclesiam Posnaniensem ascensu, augustis Maiorum Tuorum imaginibus, niteat Diuinæ scientiæ laureis, ornetur tot præcedentium, subsequentium vndique ac cingentium Te pompâ, inter hæc tamen splendidißima Tuæ amplitudinis ornamenta, sola mihi fulgere, sola triumphare, sola Te, PRINCEPS ILLME Tuumque Pastorale Pedum pietas maximè illustrare videtur. Vereor, ne huic officiam, dum extollere contendo, & ne plus ipsa Cracouia tacendo dicat, quàm ego loquendo: continere tamen vocem non possum, quam nec Tu, ad incrementum diuini honoris in animis mortalium propagandum, amoremque Dei excitandum, vnquam continuisti. Imminebat alicubi in Ecclesia, sacra alicuius diei celebritas: Tu, PRINCEPS ILLME diuini cultus in ea promouendi dux & auctor promptißimus extitisti; dum vel mysteria tremendi Sacrificij deuotißimè celebrares, vel doctißimas peræquè ac zelo amoris diuini ardentißimas Conciones magno cum populi ad pietatem incitamento perorares. Quo sanè in negotio, more cicadæ mihi processisse videris. Vt enim hæc non ore sed dorso resonans, placidißimum auribus animisque hominum concentum edit: ita Tu, PRINCEPS ILLME qui Te totum ac integrum, nullâ externâ incitatus gloriolâ, sedulò diuinis negotijs mancipasti, non tantùm ipso Nestereo ore, sed maximè Tuorum humerorum nixu atque molimine, & exemplis inculpatæ vitæ loqui studuisti: dum amore in Deum maximo, charitate in proximos, misericordiâ in egenos, affabilitate atque humanitate singulari in omnes effulgeres, omnesque vitæ Tuæ rationes ita conformares, vt non modò quicquam eiusmodi ne admitteres, quod aliquâ ratione reprehendi posset, sed quod etiam inuidorum existimatio improbaret. Testis est pietatis Tuæ ipsa domus Tua domesticorumque Tuorum ratio, quam Tu tanta cum religione ac seueritate semper instituisti, vt non aliter domi Tuæ viueretur, quàm in sanctißimo aliquo Conuentu Religiosorum. Quid? quòd omni

 tempore,

tempore, potiſsimùm religionis ac doctrinæ notâ præſtantes Viros ſic ipſe dilexiſti, vt domus Tua ingenioſorum ac religioſorum domicilium, pietatis altrix, ſapientiæ ſedes extitiſſe videretur. Illud verò quis vnquam ſufficienter referre poteſt, cum qua Tu, PRINCEPS ILLME, ſpiritus dulcedine, pulſis ex animo ſuperuacaneis mundi negotijs, miſsis Aulæ fauoribus, poſthabitâ magnorum Principum, Senatorum, & quorumuis ſummorum in Repub. Virorum Tui ſimilium conſuetudine, ipſi Deo pietatique perpetuò omnem curam animumque ſecretior intenderes? Hæc profectò eſt lux illa pietatis, quæ auguſtam Maieſtatem Regiam, animumque Sereniſsimi CASIMIRI Quarti mirificè illuſtrauit: qui vbi digniſsimorum hominum conſtantiſsimâ famâ referente, laudatiſsima illibatæ vitæ Tuæ inſtituta intelligeret, confeſtim è perauguſti Capituli Cracouienſis Collegio euocandum, & in eminentiſsimo Te honoris loco, velut ardentem Dei lucernam ſuper candelabrum Epiſcopæ Poſnanienſis, vbi latiùs radios probitatis Tuæ ſpargeres, non ſine afflatu diuino cenſuit collocandum. Non defuerunt certè illi, qui hunc ampliſsimum honorem, perpetuis ſuis in facie Reipublicæ meritis, iure propè hereditario ſibi deberi à Sereniſsimo Rege contenderent, præſertim cùm multorum Candidatorum partes, qui S. R. Maieſtati, à multo tempore, magnis cum vitæ fortunæque ſuæ impenſis, ſedulam operam impenderent, ſtrenuè promouerentur; non tamen paſſus fuerat Rex ſapientiſsimus ſe vllis expoſtulationibus à propoſiti ſententia dimoueri, quin priùs, vehementibus interea vrgentibus votis, ad templum ſe velle deſcendere, Deique in ſufficiendo Epiſcopo voluntatem ſequi, piè religioſèque reſponderet. Annuit itaque Deus O. M. vt à ſacris digreſſus, Te potiſsimùm inſpirante credo Diuino Numine, grauiſsimo iudicio & Regiâ auctoritate Epiſcopum Poſnanienſem renuntiaret. O factum tanto Monarchâ dignum! O pietatem & iuſtitiam in diſtribuendis honorib9 ſummis elogiorum titulis prædicandam! Queri iam ſub hoc Rege ſapientiſsimo deſinat nonnemo, Virtuti locum non eſſe, & quod antea multis in ore fuit, quoſdam ad ſumma honorum faſtigia obſequiorum artes, nonnullos opum magnitudinem, alios alia, ſolam virtutem paucisſimos euexiſſe. Deleuit hanc corruptiſsimi temporis maculam, & veterem illam ſapientiſsimorum Regum in cumulandis dignis honoribus conſuetudinem, retentam à paucis, exoptatam diu, CASIMIRVS Quartus nunquam ſatis laudatâ prudentiâ renouauit, dum non Calatinis aut Placentinis, ſed Tibi, PRINCEPS ILLME, Tuæque virtuti tantum honorem conferendum putauit. Non iam hîc mihi licet, neque eſt integrum præterire Tria illa ſanctiſsima Sereniſsimi Regis à Te, PRINCEPS ILLME, per Sereniſsimam Reginam MARIAM LVDOVICAM Coniugem ſuam poſtulata: vt cùm primùm ſolium Tui Epiſcopatus occupâſſes, eum Te Paſtorem præſtares, qui non Vicariâ operâ, ſed ipſâ præſentiâ, vt quondam Sancti illi Epiſcopi, STANISLAI, BOROMÆI, OLESNICII, RADIVILI, HOSII, CROMERI, facere conſueuerunt, Templa Tuæ Diœceſis luſtrares, Cleri vitam inſpiceres, bonos amares ac promoueres, & ſi quid de ſtatione excidiſſet ſua corrigeres: